

Applausus Votivus
IN NOMINALEM DIEM
Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi
Consultissimiq; Domini

D O M I N I

**JOHANNIS
GODOFREDI
ROESNERI,**


*Inclytæ Reipubl. Thoruniensis Pro-Consulis
& Proto-Scholarchæ*

*Meritissimi Splendidissimeque,
Exili quidem Carmine,*

*Sed demisso animo
Anno M.DCCXVI. D. XXIV. Junii*

Oblatus
a

GYMNASH THORVNIENS. CIVIBVS.



T H O R V N I I,

Impressit Joh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMNASII Typographus.

Undique



Ursus adest ea lux, qua non est gratior ulla,
Quæ nobis hodie gaudia magna parit:
Lux ea, quæ Nomen præclarum sistit IO-
ANNIS.

Ac animos nostros ad pia vota rapit.
Ergo dies memorandus adest, meritoque colendus
Lætitiis sacris, carminibusque piis,
Evigila subito, mœstos hinc pelle dolores,
Et tristem vultum tolle Thoruna tuum.
Hæc est illa dies quam fecit Iova benignus,
Qua tibi nil usquam gratius esse potest.
Sit longe dolor hinc, longe mens torva faceffat,
Lætitiis pectus diffluat omne piis.
Mœrores noli duros haurire & acerbos,
Sed vultu blando gaudia læta cape.
Vexavere quidem Te valde tristia fata,
Atque tuos Cives genera multa mali;
Traditus ast Tibi vir prudens a Numine summo,
A quo promanant commoda cuncta tibi.

Undique

Undique nam quamvis Te cingant anxia bella,
Nec non continuo martia turba premat;
Te tamen asservans damno defendit ab omni,
Et velut in gremio protegit atque fovet.
Hem fugiant subito longe tormenta doloris,
Et capias vires, Clara Thoruna ! novas.
Plausibus hanc lucem festivis excipe gaudens,
Proque salute Viri prospera quæque vove!
Vos quoque Pierii facundæ montis alumnae,
Huncce diem summi condecorate Viri.
Flectite nunc animos dulci modulamine cantus,
Doctaque mellifluis fundite verba sonis.
Accipe Terpsichore Cytharamque chelynque sonoram,
Accedas Erato *svavia* plectra move.
Doctiloquis calamos Euterpe flatibus urge.
Calliope docte carmina grata cane.
Te quoque nec mora, nec requies, Studioſa Corona!
Detineat plausus dulcia signa dare
Indue tu faciles gaudenti pectore vultus,
Fautoris Magni Nomen in orbe cane.
Lætiſ haud quidquam potuit contingere vita
Tota, ROESNERI quam celebrare diem.
Hic eſt Mæcenas, qui tempore præbuit omni
Impiger & large munera multa tibi.
Hic tuus eſt Pater illuſtris conſtansque Patronus,
Qui te cuſtodit, ſublevat atque tegit:
Ingenuas ſemper præclare promovet artes
Atque fovet magna ſedulitate tuas.
Vt, licet in belli ſint poſita cuncta periclis,
Undique cernatur Martis imago ferox
Tu tamen in ſpatio poſſis habitare quieto,
Et Studiis doctis invigilare tuis.
Quapropter Muſæ, vobis attollere nomen
Fautoris Summi convenit atque decet.

Vestra

Vestra per immensas tendant præconia laudes,
 Dicite : Mæcenas vive valeque diu ;
 Vive diu sospes, Fautor, semperque serenos
 Vive dies hilaris lætitiæque memor.
 O Decus Aonidum, Speso gratissima nostra!
 Laudetur toto Nomen in orbe tuum.
 Nullum jam statuam finem Te fata canendi
 Nobis, sed Viras sidera donec erunt.
 Temporis ætates laudes annalibus addant,
 Seraque posteritas carmina læta ferat.
 Te vegetum videat semper Respublica nostra,
 Te salvo vigeant, Curia, Tempa, Schola.
 Interea grata Mæcenas suscipe mente
 Quod Tibi Musarum docta corona tulit.
 Sis etiam porro noster maneatque Patronus,
 Sis Columnen nostrum, sis Honor atque Decus.
 Nos contra Numen precibus votisque precamur,
 Ut tribuat cœptis prospera fata tuis,
 Fortiter & semper propulset tristia damna,
 Ut possis summa prosperitate frui.
 Donec conscendas æternæ regna salutis
 Capturus meritis præmia digna tuis.

